



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

**Puente, Luis de la
Coloniae Agrippinae, 1616**

§. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

eum communicare dignaretur. Harum industriarum, ac diligentiarum summam quandam hic ponemus, ad decem eas reducendo, utpote præcipuas; ut qui in hac virtute proficere, & progredi cupiunt, earum usum habere possint.

§. I.

PRI MV M igitur Deus Dominus noster huic adhuc Tyroni magna desideria votaquæ communicavit, continuam & feruentem orationem habendi: huiusmodi enim adeò accensa desideria, velut prænuncijs esse solent insignium gratiarum ac fauorum è cælo venturorum: extimulant enim ad petendum, & valde instanter procurandum apud DEVM, quod ipse prouidentia sua dare constituit. hoc enim insinuat Salomon, cum dixit: *a Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ,* & David dixit: *b Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: b Psal. 9. 38. preparationem cordis eorum audiuit auris eius.* Quæ desideria magnæ illi opinioni innitebantur, quam de Supremo hoc exercitio habebat: non ex eo solum quod ingentia, quæ secum adfert bona, legisset, & audiuisset; sed multò amplius ex eo quod ipse sensim in se experiebatur. Est enim Oratio manna quoddam absconditum, non satis cognitum, ac proinde nec, ut par est, satis rectè æstimatum est, nisi ab illud delibantè ac recipiente: nam statim atque suauitas eius degustatur, desideria crescunt; amplius illud degu-

c Eccl. 24.
29.

degustandi : prælibatio enim nouam gignit famem, iuxta illud diuinæ Sapientiæ : *c qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Ex quo fiebat, vt huiusmodi desideria adeo in pectore huius serui DEI feruerent, vt omne tempus videretur illi exiguum & breue, quo se sancto huic exercitio traderet. Quare statim atque necessarijs alijs obligationibus satisfaciebat, conuertebat se ad hanc, in qua expendebat, quidquid temporis illi supererat, dicens : bonum Religiosum in huius mundi exilio constitutum, toto tempore, quo cū Deo suo non versaretur, debere esse tanquam ingens aliquod saxum vi quadam extrā suum locum detentum, & suo modo gemens, quamdiu ita detinetur, & impeditur : ideoq; sicut illud impedimento sublato, magna vi ad suū tēdit centrū, ita hic statim atque à tali impedimento se videt expeditum, mox ad suū creatorem tanquam ad centrum pergere incipit. Et quicumque talem habet spiritum ac desiderium, plurā negocia spatio vnus horæ expedit, quam alij in multis : eò quòd in ijs non amplius hæreat, quam sit necessarium : quare ab eis liberatus statim pergit ad suam requiem, hoc est ad agendum & conuersandum cum DEO suo. Verum quidem est, quòd Tyronum feruor, etiam cū est à bono Spiritu, facile admittit aliquid de proprio : quare hæc orationi incumbendi desideria eò vsq; peruenerunt, vt essent nimia : ita vt aliquando inquietum ipsum reddiderint ; vt quodammodo de superioribus conquereretur, quòd nimium alijs rebus ipsum occuparent, nec locum relinquerēt ad tantam sui recollectionem ; quantam ipse cupiebat.

Quantam

Quam imperfectionem dum in se aduertit, dedit
 operam, vt eam exueret; suaque feruentia deside-
 ria perfecta quadam resignatione temperaret, ac
 diuinæ voluntati subijceret in omnibus, quæ ad
 ipsam orationem spectabant: huiusmodi enim
 resignatio valde est necessaria magnique momen-
 ti dispositio ad progressum & profectum in ipsa
 oratione, iuxta illud Dauidis: *Subditus esto Do-* d Psal. 36. 7.
mino & ora eum, quia tunc magno cum fructu o-
 rare poteris. Quare maturiori consilio constituit,
 nolle se plus temporis recollectæ orationi im-
 pendere, quam obedientia ipsa præscriberet, &
 necessaria occupationes illi permitterent: am-
 plectens præ regula suæ orationis consilium To-
 biæ de Eleemofyna filio datum: *Quomodo potue-* c. c. Tob.
ris, inquit, ita esto misericors. Si multum tibi sue- c. c. 4. 8.
rit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam c. c.
exiguum libenter impertiri stude. Ita ipse aiebat o- c. c.
 rationi recollectæ trade te prout tempus suppe- c. c.
 ret. Si multum suppetet, multum in ea expende; c. c.
 si exiguum, hoc ipsum tribue illi libenter: præ- c. c.
 stat enim, obseruata Dei lege, diuidere cum ipso, c. c.
 quod ille dederit: quam furari, vt possis multum c. c.
 offerre. Scriptum est enim, *quod ipse Deus odio* c. c. Isa. 65. 8.
habeat rapinam in holocausto: ac proinde etiam o- c. c.
 dio habebit, si tempus obedientiæ subtrahas, et- c. c.
 iam ad orandum, & sacrificandum. Et multò ina- c. c.
 gis cum ipsum orare sit esse cum Deo, quod si quo c. c.
 tempore ille opera tua vult in alijs vti, ipsum hoc c. c.
 tempore defraudes: iam non erit ipse tecum: & si c. c.
 ille tecum non sit: quomodo tua solitudo poterit c. c.
 esse oratio. Seruus faciens quidquid Dominus iu- c. c.
 bet, tempusque in eo expendens, quod ipse præ- c. c.
 scri-

21. Septemb.
1569

scribit paratus ad omnia, quæ eius sunt obsequij,
non gratis comedit panem; potestque omnem de-
ponere scrupulum. Ad cuius rei confirmationem
refert ipse in suo libello: quòd cum in festo san-
cti Matthæi amanter apud ipsum Deum conque-
reretur, de defectu temporis ad manendum cum
ipso seorsim & solum. Factum (inquit) est ad me
verbum D O M I N I: conquiesce; & satis
tibi esse existima, quòd utar operata tua, etiamsi
non sis mecum, ex quo ipse quietus tunc man-
sit, ac iucundus. His rationibus, quas ipsa docebat
oratio, temperavit Pater B A L T H A S S A R
nimia sua desideria illam habendi, retinens in-
terim moderata, quæ Domini Spiritus sem-
per illi communicavit; ac per totam vitam con-
servavit.

H I N C verò oriebatur, quòd semper fue-
rit valde exactus in explendo ad minus toto illo
tempore, quod Societatis nostræ leges ad oratio-
nem habendam, lectionem, & conscientiæ exa-
mina, aliæque spiritualia exercitia peragenda
præscribunt, nullo unquam prætermisso eo-
dem quo præscribitur, aut altero ei æqua-
li, etiamsi plurimæ adessent occupationes.
Et cum præiudebat fore multas, surgebat
citius ac præveniebat, ut temporis pensum
in his omnibus exercitiis maiori cum quiete
exponderet, imò tunc semihoram ultra præ-
scriptum, illis tribuebat; ad reparanda (ut
ipse aiebat) detrimenta, quæ aliàs pati cogebatur,
potius volens præscriptum tempus
excedere; quàm aliquid illi detrudere: &
hac ratione supererat illi sufficiens tempus
pro

pro reliquis negotijs & occupationibus.

N E C contentus erat solo tempore à regula præscripto : nam cum Superior erat (fuit autem ferè semper) multò plus temporis orationi tribuebat . Nam post pulsum ad incumbendum ipse ad Chorum se conferebat , & duas, aut tres etiam horas in oratione expendebat, vigilans tanquam bonus Pastor, quando grex eius quiescebat. Et præter hoc, iubebat etiam Excitorem, ipsum media hora ante alios excitare: & adhuc quando ille veniebat ad excitandum, iam illum orationi vacantem inueniebat . Et aliàs integras noctes consumebat orando in suo cubiculo (quod sæpè aduertebant, qui proximè habitabant) vt imitaretur Dominum, de quo sanctus Lucas ait, quod *egregret in montem orare, essetque pernoctans in oratione Dei*: cui dicebat illud Isaia: *h anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in precordijs meis de mane vigilabo ad te.* Id tamen præcipuè faciebat, quâdo necessitate aliqua propria, aut alterius, aut negotio magni alicuius momenti premebatur: cuius rei plura exempla subiiciemus inferius.

ET præter hæc, singulis annis minimùm semel colligebat se per octo aut quindecim dies plus minus, prout occupationes patiebatur: vt exercitia pro more Societatis perageret, totum illud tempus familiaritati cum D E O omninò tribuens. Quod si ita occupationes non paterentur, vt tantum temporis simul in hoc expenderet, studebat saltem singulis mensibus diem vnum; & singulis septimanis vnus diei totum tempus

matutinū soli Deo consecrare: aduertebat enim & ipsa experientia deprehendebat, huiusmodi longioribus temporis spatijs feruescere spiritum, gratiamque deuotionis, & familiaritatem cum Deo obtineri; & augeri vires ad pia opera exercenda, & iuandas animas. Ac propterea **D E V S** cōtinuit Moysen *in septem diebus in medio caliginis*, vnde vocauit eum ad montem, vbi fuit *quadraginta diebus*; post quos dedit ei tabulas legis, quas ipse descendens ex monte portauit in manibus, vt eam populo promulgaret. Et quamuis potuisset Deus vna hora perficere, quod fecit quadraginta diebus: voluit tamen ipse hac ratione significare: eos, qui familiaritatem cum sua Maiestate habere cupiunt, debere longa, collectaque communicatione cum ipso eam obtinere, in qua docentur, & roborantur ad fortiter præstanda quæcunque ad eius diuinum obsequium spectant.

E X quo licet intelligere, quanta attentione, reuerentia, deuotione, & feruore Spiritus seruus hic Dei habere consueuerit collectam suam orationem: cum nullus tot horas, ac toties in ea expendat, nisi magnam nobilissimi & vtilissimi huius exercitij opinionem habeat, ipsaque experientia didicerit suauitatem & fructum ex ea prouenientem. Eadem etiam desideria & studium, quo tantum temporis orationi impendere cupiebat, ipsum etiam exstimulabat, vt maximam diligentiam adhiberet ad eam cum omni perfectione habendam. Quamobrem toto sexdecim annorum tempore, quo primum Orationis modum tenuit, fuit singularis in obseruandis plenè omnibus consilijs, & circumstantijs, quas **S. Pater** *roster*

i Exod. 24.
16.

ster Ignatius in libello Exercitiorum obseruandas præscribit (quas Additiones vocat) ad rectè habendam orationem; nulla, etiam minima, neglecta: obseruauerat enim diligenter, plurimum placere Deo, quod quis diuinam eius voluntatem plenè, etiam in rebus minimis, exequatur: vt nos ad suum conspectum, & familiaritatem admittat: cui vt verè obediens sunt charissimi: ita propria sua consilia sequentes odit: & quemadmodum ait S. Bernardus; cœlestis sponsus non

*Serm. 46.
in Cant.*

requiescet per contemplationem in lectulo cordis non producentis obedientiæ flores, sed propriæ voluntatis vrticis seminati; nec se ipsum in oratione communicabit inobedienti is, qui ad eò obedientiam dilexit, tantiq; illam fecit, vt mori voluerit potiùs, quàm non obedire.

§. II.

HINC etiam ortù est, vt hanc orationis viam cum magna humilitate ambularet: nec voluerit vno quasi volatu ad eius culmen ascendere, sed per certos gradus ab infimo incipiendo; donec Deus ad altiorem ascendere ipsum iuberet. Vt enim idem S. Bernardus ait, non est

*Serm. 3. in
Cant.*

tutum repente ad summum ascendere, ac diuini oris osculum petere; nisi qui priùs pedes, & postea manus cœlestis Sponsi fuerit osculatus. Quam rationem Pater hic Balthassar tenuit in progressu meditationum, & in operibus triplicis vitæ Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ: incipiens à primis, vt se ipsum à culpis omnibus purificaret, & passiones ac reliquas res, quæ familiaritatem cū Deo impedirent, reprimeret, ac mortificaret.

B 3

quare